



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput I. De natura Religionis, & Horis Canonicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

TRACTATUS  
DE  
VIRTUTE RELIGIONIS,  
EJUSQUE ACTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

*De natura Religionis, & Horis Canonicis.*

**R**eligio est, *Virtus moralis, exhibens Deo cultum devotum, quatenus est primum rerum omnium principium.*

Objectum ejus materiale est, *Cultus Deo debitus*, consistens in eo, quòd divinam excellentiam, supremumque ejus in omnes creaturas dominium actu aliquo, seu interno, seu externo, cum submissione profiteamur.

Objectum autem ejus formale est, *ipsa Dei excellentia*. Differt à virtute Theologica, quòd hæc tam pro materiali, quàm formali Deum immediatè habeat pro objecto, illa verò pro materiali habeat *cultum Deo extrinsecum*.

Actus Religionis alii externi, ut *Sacrificium*; alii interni, ut *oratio mentalis*.

1. Quid sunt Horæ Canonicæ?

R. *Sunt certa preces, que ex prescripto Ecclesiæ & decreto quotidie dicuntur, tum ad laudandum Deum, eique gratias agendum, tum ad implorandum ejus opem.*

2. Quinam ad Horas Canonicas obligentur?
3. 1. Certum esse, obligari uno è majoribus Ordinibus insignitos, non tamen, qui sunt initiati minoribus.
2. Religiosos, non Jesuitas, nondum in Sacris constitutos, item Moniales, dum Chorum profitentur, quia hæc est consuetudo laudabiliter introducta, obtinens vim legis.
3. Etiam ad Horas Canonicas obligantur Beneficiati in Sacris non constituti, quando habent beneficium ad sustentationem sufficiens, quia proventus Ecclesiastici dantur propter officium divinum.
4. Ad Horas Canonicas verisimiliter obligantur Beneficiati possidentes Beneficium quantumcunque tenue.

Ratio est, quia Conc. Lateranense generaliter dicit: *Beneficium datur propter Officium.* Proinde infortunio suo, vel etiam sibi impitent, quòd Beneficium acceptando, in talem sortem consenserint. Hoc interim ipsis potest esse consilio, ut Beneficium dimittant; si non possint, in patientia sua possideant animas suas, scientes, quòd onus recitandi Horas non solà sustentatione, sed vel maximè privilegiis, honoribus, quibus Beneficiati gaudent, compenset Ecclesia.

3. An Clericus degradatus, excommunicatus, aut alteri censuræ Ecclesiasticæ obnoxius eximatur ab Horis?
3. Neg. Dum commodè legere potest: nemo enim comodum sentit ex delicto. 4. Quæ-

4. Quænam Horarum omissio est mortale peccatum?

R. Hoc pendere à timorati iudicio, quæ pars sit notabilis. Cæterum in praxi videtur, quòd omissio unius Horæ minoris, putà Tertiæ, sit grave peccatum; est enim pars notabilis, & integralis totius officii.

5. An Beneficiati, qui Horas legere negligunt, ad restitutionem teneantur?

R. Aff. Ita ut Beneficiorum suorum fructus *pro rata* omissionis Officii, & temporis non faciant suos, ita Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi Concilio &c.*

6. An possint horæ legi tempore Sacri obligantis?

R. Aff. Quia si obligatus ad Horas sub Sacro obligante legeret Rosarium, vel preces omninò liberas, satisfaceret; ergò similiter. Nec refert, quòd obligatio ad Horas distinguatur ab obligatione ad Missam, quia in promptu est, quòd duplici obligationi sæpè satisfiat per unam actionem, ut si Dies Festus incidat in Diem Dominicum &c. Hoc tamen intelligi debet, dum aliunde nihil obstat, quale quid est, dum duæ sunt rationes formales distinctæ, propter quas diversimodè ad aliquam actionem tenemur; sic si alicui pro pœnitentia injungatur Psalmus: *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, non satisfacit legendo Completorium, sed tenetur insuper extra Completorium psalmum illum persolvere, quia ratio formalis obligationis Officii Canonici est omninò di-

versa à ratione formali pœnitentiæ Sacramentalis.

7. An qui non potest persolvere totum Officium, teneatur ad partem?

R. Pro his, & similibus hanc observa regulam: quando obligatio legis est individua, & proxima legislatoris intentio, & substantia præcepti non reperitur in partiali legis observantia, tunc, si non possit impleri lex tota, non est obligatio ad partem illius. Sic jussus proficisci Romam, nec valens ultra Coloniam pergere, à tota obligatione eximitur. At verò dum obligatio legis est dividua, & in partiali observantia reperitur præcepti substantia, vel intentio legislatoris proxima, dicendum est à contrario. Sic qui non posset jejunare per quinque priores Quadragesimæ septimanas, posset tamen per hebdomadam sanctam, teneretur isto tempore jejunare. Ita similiter, qui non potest integrè legere nisi unam Horam, tenetur ad illam, licet aliàs non possit legere, quia obligatio Horarum est dividua, & proxima legislatoris intentio reperitur in qualibet parte integrali.

8. An quilibet pro suo libitu possit mutare Officium pro Officio?

R. Neg. Et sæpissimè grave peccatum est, ut si Officium mutetur in aliud notabiliter brevius.

9. quæ sunt causæ excusantes à lectione horarum?

R. In primis hæ peti possunt ex regulis generalibus, quæ ab observatione legis humanæ excusant.

sant. Deinde in particulari excusat *gravis infirmitas*, vel *periculum* in eam incidendi. *Dispensatio Pontificis. Defectus Breviarii*, nisi *Officium*, vel pars integralis teneatur memoriâ. *Necessitas prestandi Officia charitatis*, vel *talis occupatio*, quæ sine gravi scandalo post-poni nequit.

## CAPUT II.

*De voto, ejus commutatione, & irritatione.*

§. I. *De Voti natura, &c.*

**V**otum est, *Promissio deliberatè, ac spontaneè Deo facta de meliori bono possibili*. Quælibet particula definitionis benè attendatur.

Collige 1. Materiam voti non posse esse aliquid illicitum, utpote ad quod obligari non possumus. 2. Opus præceptum cadere posse sub voto, nam hoc opus Deo gratius est, quàm ejus oppositum; contra, opus indifferens non esse materiam voti, quia non est Deo gratius, quàm ejus oppositum. 3. Votum de vitandis toto vitæ decursu omnibus peccatis venialibus collectivè sumptis etiam esse nullum, quia est de re moraliter impossibili.

Votum aliud est absolutum, aliud conditionatum. Aliud expressum, aliud tacitum, seu virtuale.

Dividitur etiam in reale, personale, & mixtum. *Reale* dicitur, quod est de re, vel actione per alium exercenda. *Personale* est, quod fit de actione per ipsum voventem exercenda, ut votum